



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Pavli Laymann è Societate I: Theologiae Moralis
Compendiv[m] absolutissimum et in quinq[ue] libros
partitum**

Laymann, Paul

Moguntiae

§. 2. De Episcoporum iurisdict.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40716

particularia, Episcopi, Archiepiscopi, Legati sedis Apostolicæ, Rom. Ecclesiæ Cardinales in Ecclesijs sui tituli, Generalis Vicarius Episcopi, Prælati Ordinum, &c.

§. I.

De Conciliis non Oecumenicis.

Concilia non Oecumenica alia sunt nationalia, quæ conuocatis eiusdem Nationis Episcopis, & Archiepiscopis à primare inducunt; Alia prouincialia, quæ ab Archiepiscopo, conuocatis episcopis; alia diocesalia seu synodalia, quæ auctoritate Episcopi, conuocatis prælati (etiam exemptis) & Parochis quotannis celebranda essent, iuxta concil. Trident.

Concilia non Oecumenica à Papa approbari necesse non est, dummodo nihil in ijs contra vniuersales Canones vel Ecclesiæ vniuersæ Consuetudines decernatur. 106.

§. II.

De Episcoporum Iurisdictione.

Episcoporum Ecclesiastica Iurisdictione, quo ad substantiam ex diuina institutione est, iuxta Act. 20. *Posuit vos Spiritus S. Episcopos, regere Ecclesiam Dei,* quo ad modum verò & ordinem institutionis, à summo Pontifice est. Ratio, quia Christus perfectam Ecclesiæ Monarchiam constituit; Ad Monarchiam autem perfectionem pertinet, vt sub vno Monarcha alij sint in Republ. inferiores Principes (sicut in Romano Imperio post Imperatorem, Duces, Marchiones) quasi totius corporis nerui aut manus, dependentes à summo capite, quod Christus voluit propter conuenientem statum totius Ecclesiæ. 107.

4 Olim tres tantum dicebantur Ecclesie patriarchales, quae à S. Petro, tanquam à summo Capite fundatae erant, Romana, Alexandrina & Antiochena.

5 Ad Romanum Pontificem pertinet Episcopos electos confirmare, eorum iurisdictionem tum locorum spatijs, tum causarum qualitate definire, eosdem iustas ob causas deponere, patet ex perpetua prae Ecclesiae & traditione. Vnde patet eorum iurisdictionem quoad modum non à Christo diuino iure sed à Papa humano iure ipsis competere.

NB. 1. Quod potest Papa in tota Ecclesia, id potest etiam Episcopus in sua diocesi, intellige cum dependentia & subordinatione ad Papam, tanquam superiorem, & exceptis causis maioribus soli Papa referuat: s.

NB. 2. Episcopi non succedunt Apostolis in Apostolatu, sed in Sacerdotalis Ordinis dignitate.

6 Patres in Concilio VI. Carthaginensi appellationem ad Sedem Apostolicam absolute non negarunt, sed modum suscipiendi appellationem improbarunt.

NB. Episcopi condemnatio est ex grauioribus Causis, ideo soli sedi Apostolicae referuat: s.

§. III.

De Iurisdictione Metropolitanæ & Archiepiscopi.

7 Metropolitanus est Ordinarius superior Cœpiscoporum prouinciæ, tamen in causis criminalibus, quae depositionem merentur, contra aliquem eorum procedere non debet, sine Sedis Apostolicæ autoritate.

Metro-